

TRACTATUS

Et hæc sunt optime lector, quæ tibi de integris communicare uoluimus, de duplicatione porro & Mediatione, cum illa multiplicationis, hæc uero diuisionis pars sit, scribere quicquid necesse non fuit.

Sequitur de proportionibus tractatus secundus.

Quantum difficultatis proportionum ignorantia pariat, quantum item ad ea, quæ in Mathematicis disciplinis passim occurrunt, intelligenda tradendaque, earum scientia afferat momenti, omnibus fere mathematicæ studiosis constat. Quare tibi studiosa iuuentus, quo te illa de diuersis autoribus conquirendi labore & molestia leuarem, tuorumque studiorum conatui succurrerem, hoc de proportionibus tractatu utcumque conscripto deesse nolui, tuarum iam partium erit, eam non modo ad librorum tuorum suppellectilem collocare, sed etiam in hoc cum alijs te exercere. Vnde quid fructus ad te rediturum